

praesentibus est appensum. Actum et datum Misnae anno domini M^o.CCC^o.XVII^o. feria quinta infra octavam assumptionis Mariae virginis gloriosae, praesentibus magistro Hermanno plebano sancti Nycolai in Wriberch et Vlrico capellano nostro canonico in Schylowe, Herbordo et Nycolao de Kotzenrode nostris capellanis et Henrico nostro notario canonico in Budissyn et quam pluribus aliis fide dignis. Nos quoque Waltherus praepositus, Heinricus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis, ad exprimendum nostrum consensum, nostrum sigillum huic litterae similiter duximus apponendum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 365. 1317. 18. Aug.

B. Withigo II. bestätigt mit Zustimmung des Domcapitels die durch Ulrich von Düben geschehene Stiftung und Ausstattung der Vicarie des heil. Kreuzes, und vermehrt dieselbe durch Geld- und Getreidezinsen in Jahna.

In nomine domini amen. Nos Withigo dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus omnibus praesens scriptum inspecturis salutem in omnium salvatore. Quoniam singulis ius suum integre est servandum, ut sic quiete vivant nec cuiquam dissidendi materia tribuatur, rationis interesse dinoscitur, ut quae pro devotionis affectu geruntur sic enueliet, limitet et distinguat, ne ulla postmodum interveniente calumpnia aliquatenus deflorentur. Proinde universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris ad aeternae rei memoriam volumus esse notum, quod dilectus dominus Vlricus de Dybene archidiaconus Nisicensis, de nostro consilio et consensu, ob dei reverentiam et patronorum nostrorum sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris pia devotione, in suorum et progenitorum remedium peccatorum, in nostra Misnensi ecclesia auementare sacerdotum numerum deo perpetuo famulantium affectans, altare sub ambone nostri monasterii nomine perpetuae vicariae in honorem sanctae crucis et gloriosae dei genitricis et virginis Mariae ac quatuor evangelistarum de nostra et nostri capituli licentia et consensu instituit, et infra scriptis bonis a deo sibi collatis vicariam eandem liberaliter dotavit, donando videlicet et assignando cum omni utilitate et libertate allodium in Omasuwicz^{a)} situm cum tribus areis XII solidos denariorum usualium annuatim solventibus, quod allodium cum omnibus suis utilitatibus et pertinentiis iam dictus dominus Vlricus a strenuo milite Johanne de Hersteyn pro XXXVI sexagenis grossorum denariorum, iusto emptionis interveniente titulo, comparavit. Item in villa quae dicitur Gluich^{b)} Vſ talentum cum duobus solidis annui census Vribergensium denariorum et XXVIII pullos cum IIIſ sexagena ovorum, quem censum idem dominus Vlricus ab honestis viris Gerlaco, Henrico et Nicolao dictis de Hunysbere similiter iuste et rationabiliter emit pro XL scokeis grossorum Pragensium cum omni suo iure. Item medietatem decimae in Lysezenicz^{c)} sitae, scilicet duo maldaria siliginis et totidem avenae, quam dictus dominus Vlricus ab honorabilibus viris domino Henrico praeposito, Henrico decano totoque capitulo nostro Misnensi pro XX scokeis

a) Omsewitz, Par. Briessnitz. b) Glaucha, Par. Zschaitz. c) Lützschnitz, Par. Zschochau; vgl. S. 291.